



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Amplitudo nominis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A *Obsupuit visu Aeneas, ille agmine longo Libavitque dapes, rursusque innoxius imo Tandem inter pateras & lavia pocula Serpens, Successit tumulo, & depasta altaria liquit.*

Quod quidem non temere fictum à Poeta sed ex historia desumptum. Atheniensibus enim contra Medos apud Salamina navalem pugnam inituris, Serpens draco in navi dicitur apparuisse, secundissimo rerum, quæ prospere subsecuta sunt prodigio: cuius rei monumentum in Salamina templum fuit Cychreo, ut apud Pausaniam est, dicatum, quod Apollo responderit, Serpentem illum Cychreum heroem fuisse, qui auxilium allaturus advenisset.

EPAMINONDAS. CAP. XI.

Epaminondas autem Imperator ille clarissimus, qui ad Mantineam tam fortiter occubuit, Draconis gestamine insignis fuit. Eo vero loco ubi prælium commissum est, columnam erexit antiquitas, cum clypeo Draconem in ejus memoriam sculptum ostentante. Quod Pausanias ideo factum arbitratur, quod is ex Spartiarum cognatione, quæ Thebis erat antiquissima progenitus dicitur, quorum id gentile esset insigne: quippe quod à feminio anguineorum dentium, quos Cadmus severit, oriundi essent; Spartanosque ipsos in Laconia inde originem duxisse nonnulli credidere, quos olim *ὀφιοδέες* nuncupatos alia de causa historici tradiderunt: cum enim annonæ caritate laborarent, compulsi sunt, Serpentes, quorum vis magna in Laconia multiplicaverat, in humani cibi usum convertere. Sed quoniam de clypeis & gestaminibus militum atque cohortium multa dicturi sumus, quia id præcipue contendebas, ut adversus eruditorum quorundam sententiam veterum exempla tibi suggererentur, quo non esse novum institutum, familias variis gestaminibus tum colorum, tum dissectionum, atque etiam insculptarum in illis animantium, figurarum, plantarum, instrumentive alicujus adfectione discerni, comprobare posses: priusquam ad horum explicationem aggrediar, alia quædam ad principatum & nominis claritatem per Anguem commonstrata dicere necessarium est. Sed prius aliqua de ostentis.

*Spartiani
cur ὀφιοδέ-
ες olim.*

AMPLITUDO NOMINIS. CAP. XII.

In ostentis enim summam nominis amplitudinem portendere Anguis fertur, non iis tantum, quæ ad imperium, aut alium quemcumque principatum attinent, sed ad ea quoque, quæ vel ingenio, vel arte celebritatem sibi aliquam comparaverit, ut in histrione Roscio, artis suæ gloriam præmonstravit: cum enim puerum Anguis dormientem noctu complicasset, pater ad aruspices detulit, qui responderunt, nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore.

DOMINIUM. CAP. XIII.

Aureliano vero, quamvis modicis parentibus ortus esset, summum tamen imperium Anguis portendisse fertur, cum ejus pueri pelvim plerumque cinxisset, neque unquam occidi potuisset: postremo matrem ejus, quæ templi Solis sacerdos erat, & aruspiciæ non ignara, cum hoc vidisset, Serpentem quasi familiarem occidere noluisse. Pari præfatio Severo imperium præmonstratum est, cui dormienti, ut Spartianus ait, in stabulo Serpens caput cinxit, & sine noxa, expergefatis atque acclamantibus familiaribus, abiit. Quin & Maximini junioris, quem pater secum Imperatorem appellavit, caput dormientis Serpens circumdedit, futuræ dignitatis argumento. Quid autem somnia? nonne ipsa quoque vel in conceptu, vel in partu, quotiens Draconem obtulissent, ejusdem amplitudinis prænuncia fuerunt? *Mamae somnium.* Mamae Alexandri Severi mater, pridie quam puerum eum pareret, somniavit se Dracunculum enixam edidisse. Nam & Alexandro Macedoni Draco domini claritatem præfagivit, qui matri Olympiæ congressus est in somniis. Hoc idem de Pomponia Africani Scipionis matre traditum est, & ipsi Draco circumfusus nihil attulit nocimenti. Dedit & Augusto Imperii præfagium ostento simili. Nam cum Actia mater ejus ad solemne Apollinis sacrum *Actia somnium, Sueton. in August. 64.* media nocte venisset, positaque in templo lætica, dum cæteræ quoque matronæ dormirent, obdormisset, visus est Draco repente ad eam irrepere, pauloque post digressus: illa vero expergefata, quasi à concubitu mariti se purificavit, & statim in corpore ejus extitit macula veluti picti Draconis, quæ nunquam eximi potuit, adeo ut publicis inde balneis perpetuo abstinerit. Sedenim facile fuit